crederet, devotione exhibuit ut rogaret, sapientiam induit ut sani
tatem suam et ipsa sentiret, fiduciam sumpsit ut fateretur quod praeripuit a
lienum. Cur autem retro tangitur Christus? An quia scriptum est: post dominum deum tuum am
bulabis? Quid quod sibi vult quod principis filia annorum XII moriebatur et
mulier ista fluxu sanguinis ab annis XII laborabat, nisi ut intel
legatur quia quamdiu synagoga viguit laboravit ecclesia? Defectus illius
huius virtus est, quia illorum delicto salus gentibus, consummatio illius huius ex
ordium, non naturae exordium sed salutis, quia caecitas ex parte Israhel con
tigit donec plenitudo gentium introiret. Non quod tempore sed specie sani
tatis antiquior synagoga quam ecclesia, quia quamdiu illa credebat ista
non credidit, et per varias corporis atque animae passiones inmedicabili
remedio aegra languebat. Audivit aegrotare populum Iudaeorum, sperare
coepit salutis suae remedium, tempus venisse cognovit quo medicus adesset
e caelo, surrexit ut occurreret verbo, vidit quia premebatur a turbis.
Non enim credunt qui comprimunt, credunt qui tangunt. Fide tangitur Christus,
fide Christus videtur, non corpore tangitur, non oculis conprehenditur. Neque enim videt
qui videns non videt, neque audit qui ea quae audit non intellegit, neque tan
git qui non fideliter tangit. Denique ut fide tangentis exprimeret, ait: Te
tigit me aliquis, nam ego cognovi virtutem de me exisse. Quod est eviden
tis indicium, quia non intra possibilitatem condicionis humanae atque intra corporis
claustrum inclusa sapientia divinitatis coartata est, non capitur angustiis
corporalibus, non tenetur, sed ultra fides nostrae mediocritatis virtus ex
undat aeterna. Non enim humana ope plebs gentium liberatur, sed dei mu
nere. Congregatio nationum quae se brevi fide mira inclinat aeterna.
Nam si consideremus quanta sit fides nostra et intellegamus quantus sit filius
dei, videmus quia conparatione eius fimbriam tantummodo tangimus, su
periore vero vestimenti eius parte nequimus attingere. Si igitur et nos curari
volumus, fide tangamus fimbriam Christi. Non latet eum quicumque fim
briam tetigerit, qui tetigerit aversum. Neque enim deus indiget oculis ut
videat, neque corporalia sentit, sed in se habet cognitionem omnium. Bea